

nobis vacare et corpori attendere, semel tantum in festivis diebus sacrum et concionem audire ad pascendam animam, profecto nimis parum est, ergo faciamus aliquid amplius, vel certe hoc exiguum. Toto anno peccare et semel tantum confiteri, sane nimis parum est: ergo hoc fiat sæpius, vel certe semel accurate et bene. Integram peccatorum plaustrum afferre ad confessarium, interim vero ab eo desiderare modicam pœnitentiam, quis non videt nimis esse parum? Ergo rogetur confessarius, ut imponat rigidam et severam satisfactionem, vel talis ultro suscipiatur. Denique, abundare opibus, epulari et vestiri splendide, interim pauperibus vix de mensa micas aut laceras atque attritas elargiri vestes, nonne id nimis parum est? Ergo demus multum in gratiam illius, qui in gratiam nostri dedit nimium, fecit nimium, tulit nimium.

CONCIO VI.

QUADRUPLEX HOMINUM TRANSFIGURATIO.

I. De statu gratiæ in peccatum. — II. E statu peccati in statum gratiæ. — III. Ab hujus sæculi deliciis ad gehennam. — IV. E miseriis hujus vitæ in cœlestem gloriam.

THEMA.

Transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.

Cum ad magnam solemnitatem, veluti ad nuptias procedit magnus princeps splendidissimo ornatu, omnes ejus aulici triviales exuunt habitus, novisque ac splendidis induti vestibus, quantam maxime possunt, suo se conformant principi, ut si non simili decore, simili saltem colore, seu (ut vocant) livrea in publico compareant. Prodit hodie Dominus noster princeps regum terræ, *tamquam sponsus procedens de thalamo suo*, novo, et miro indutus habitu, *speciosus præ filiis hominum*, dum in monte transfiguratus ostendit gloriam suam. Quid superest igitur, auditores, nisi ut nos omnes, qui in ejus aula, Ecclesia, sumus, et ipsi exuti veterem hominem, induamus novum et quantum nobis fas est, cum ipso transfiguremur et similes ei fiamus? Ita enim Moyses et Elias, qui hodie transfigurationis splendore interfuerunt et ipsi *in majestate visi* sunt, ut scribit S. Lucas, cap. IX. utique ad exemplum nostrum: ne in nobis reperiatur, qui tanti regis nuptiis sine nuptiali veste centumculatus adsit. Qua in re attendendum, auditores, siquidem et Satanas transfiguratur se in angelum lucis, omnemque adhibet operam, ut et ipse habeat

aulicos, metamorphoseos suæ æmalos, pessimus Dei simius: attendendum, inquam, ne in eam transformemur speciem, quæ diabolo potius placeat, quam regi nostro Christo. Quare videamus tam malorum quam bonorum bifariam transfigurationem.

Duplici ratione transfiguratur homo, sive cum Christo, sive cum ejus adversario dæmone: inchoate et complete. Cum Christo quidem inchoate, cum e statu peccati transit ad statum gratiæ; complete, cum ex hoc calamitoso sæculo transit ad cœlestem gloriam. Cum diabolo vero, inchoate, cum de statu gratiæ præcipitatur in peccatum; complete cum de hujus sæculi deliciis abripitur in gehennam. Quis inficietur has mutationes vere appellari posse transfigurationes, et miras quidem ac magnas? Videamus singulas.

I. Prima est, de statu gratiæ in peccatum, metuenda transfiguratio. Eam enim patheticè delineavit mundo Deus in rege Babylonis Nabuchodonosore, ejus arrogantiam punivit mira depressione, ita ut ejectus ab hominibus et in silvis oberrans, feræ instar degeret annis septem, Dan. IV. Quod qua ratione factum sit, ostendunt doctores S. Hieronymus, S. Gregorius, Theodoretus, Lud. Molina, Delrius cum Corn. a Lapide in eum locum.

Primo, rationis usu destitutus, utebatur tantum phantasia eaque vitiata, qua in ursum se mutatum existimabat, et quæ ursi tantum sunt, animoolvebat; siquidem ei dictum fuit: *Cor feræ detur ei*, bovis scilicet, ut infra dicitur. Ita et peccator superni luminis usu caret, dum eligit sibi noxia, turpia et otiosa, eaque bona et pulchra reputat; nec videt status sui periculum, non timet Deum judicem, non cogitat quæ honestatis sunt, sed voluptates tantum somniat, etc. quam ob causam peccatores vocat apostolus *tenebras*, ap' Ephes. V. *Fuistis aliquando tenebræ, etc.*

Secundo, complexionem accepit ferinam, quia corporis ejus temperamentum adeo immutatum et efferatum erat, ut in ferinas tantum actiones et voluptates propenderet. Pari modo peccator usu præsertim et consuetudine peccandi adeo degenerat, ut non tam homo quam brutum reptari debeat, ob distortam, et depravatam voluntatem: inde enim a Deo Genesis VI. non amplius *homo*, ut prius, sed *caro* tantum vocatur: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*, quoniam scilicet, ut sequitur, *omnis caro corruperat viam suam*. Alibi etiam sæpe vocantur equi ob lasciviam, sues ob sordes et ingluviem, lupi ob rapacitatem et ferociam, etc. quemadmodum et nos communiter avaros appellamus

bufones; lascivos, fœtentes hircos; invidos, canes; ebriosos, porcinos; pigros, asinos, etc. quia scilicet talium bestiarum mores, et vitia adeo imbiberunt, ut non tam homines, quam belluæ videantur.

Tertio, voces non humanas articulatas, sed belluinas et mugitus edebat, quia locutio sequitur imaginationem. Ubi ergo ferina imaginatio (quam in rege illo fuisse diximus) ibi et ferina locutio. Nihil melior est vox et loquela peccatorum, qui quod meditantur semper, idem et loquuntur; ambitiosi honores, ebriosi calices, avari nummos et mercimonia, lurcones convivia et symposia, litigiosi arma, lusoires aleas, venerei sordes et impudicitias: taceo blphemias et execrationes, quibus assueverunt. Et hæc ipsa loquuntur et eructant in somnio, in ebrietate, quandoque in articulo mortis.

Quarto, habitu ferino potius quam humano incedebat, facie deformata, cute aspera et indurata, unguibus quasi aquilinis, capillis prolixis et intonsis, per cætera membra nudus et omnibus cœli injuriis expositus, humi denique reptans manibus et pedibus; quæ omnia ipsemet contestari visus est, cum sibi restitutus dixit: *Figura mea reversa est ad me*. Simillimus huic habitus cernitur in homine peccatis deformato. Videas enim in illo faciem conscientie adeo deformatam, ut vel nullas in se videat scelerum suorum maculas, vel si videt, eam vel ebrietate vel externis negotiis obruat, ne aspicere cogatur; cunctem porro adeo duram et impenetrabilem, ut nullis moveatur adhortationibus, precibus, minis, plagis, qualem habent tauri Æthiopiæ, apud Plin. l. VIII. cap. XXII. silicis duritie, omne vulnus respuentem. Ungues ad rapiendum ea, quæ suis arident appetitibus, plusquam aquilinos; capillos cogitationum et curarum perpetuo fluctuantium, quibus totus in feræ modum hispidus undique ambitur et operitur; corpus adeo omnino honestate denudatum, adeoque depravatam et ad terrea ac fluxa bona depressum, ut modo superbiatimidum ridendum se aliis exponat; modo avaritia stimulante, per inedia exhauriat; modo per libidinem gallica aliave lue destruat; modo per iracundiam et invidiam conficiat; modo per ingluviem et ebrietatem ita enervet ut incedere nequeat, trahi debeat, et vitam sibi præcidat morbosque conciliet; quod sane aliud non est, quam belluæ instar quadrupedis pronum ambulare.

Quinto, herbas ut bos comedebat, quod sane facit peccator, dum verum et solidum, adeoque proportionatum animæ cibum (Dei verbum, sacramenta, virtutes earumque exempla, etc.) fastidians, quærit belluinum pascitque animum va-

nissimis et vilissimis rebus: uti vestium et auri splendore, tinnitu nummorum, fœdis colloquiis, detractionibus, fabulis et curiosis narratiunculis, vini et siceræ ingurgitatione, etc. hi sunt illius cibi; atque ita demum homo, qui in baptismo initiatus Deoque consecratus fuit, turpiter immutatur et degenerat in feram, ex templo fit spelunca latronum, ex domo Dei domus vanitatis, uti notavit Amos, c. V. dicens: *Et Bethel erit inutilis*, Hebr. *Bethel erit in avena*, q. d. ex Bethel sit Bethaven, hoc est, ex domo Dei domus vanitatis et inanitatis, quod si non sentit modo peccator, sentiet suo tempore, cum ea quibus illectus Deum offendit, vertentur illi in nauseam, quod fiet in articulo mortis et inferno.

II. Secunda, e statu peccati in statum gratiæ, felix et optanda. Illius typum exhibet nobis Joseph e carcere (in quem tamen nulla sua culpa conjectus fuerat) ereptus et mox ad principis dignitatem evehctus a Pharaone, Gen. XLI. Qui enim paulo ante in obscuro carcere vinctus compedibus, squalidus, intonsus et impexus totusque depressus sedit, repente jussu regis eductus, attonsus et veste meliore indutus est, tumque a rege magnis auctus honoribus; nam induit eum stola byssina, dedit annulum in manu ejus, torquem injecit auream collo ejus, imposuit eum curru suo secundo et præconis voce honorari jussit, appellavitque eum *Salvatorem mundi*. Quanta hæc et quam subita mutatio, de summa miseria ad summam in terra felicitatem? Talis porro mutatio cernitur in homine, cum serio convertitur et respiscit a peccatis. Qui enim prius peccatorum vinculis constrietus, in tenebris ignorantie, sub potestate dæmonis squalidus et deformis peccandi consuetudine adeoque belluinus, ut supra vidimus, effectus erat, is per pœnitentiam totus immutatur in virum alterum. Erutus enim e diaboli ergastulo, vitiis peccatorum vinculis, deterso priorum vitiorum et sornium squalore, abjectis etiam sæcularium cognitionum ac desideriorum capillis, miris gratiæ beneficiis dotatur.

Primo, vestitur stola byssina, gratia videlicet, quæ instar vestis nobilissimæ Dei solius manibus confectæ hominem ita exornat undique et condecorat, ut totius naturæ splendor, quantuscumque ille sit etiam in angelis, vilis et exiguus sit respectu illius. Nullæ stellæ cœlum, nullæ gemmæ coronam, nullum aurum, nullæ purpuræ aliæque byssinæ vestes ita condecorare regem possunt, uti gratia animam; quam si nos hic contemplari possemus, eligeremus cum S. Catharina Sennensi mille mortes, imo et cruciatus ut ejus aspectu frui possemus.

Secundo, annulum aureum accipit in manibus

dum opera virtutum exercere satagit, quæ vigore gratiæ fiunt aurea et coram Deo gratiosa vitæque æternæ meritoria. Ergo qui prius furabatur, jam sua pauperibus elargitur; qui prius occidere parabat, jam quævis adversa ab inimicis cum gaudio suffert et mala bonis compensat; qui prius in cæno turpitudinis jacuit, jam cilicio indutus humi se prosternit et flagellis tundit; qui prius inebriari gestiebat, jam jejuniis se castigat; qui prius execrabatur et blasphemabat, jam orationibus Deum placat; qui prius sese comere et superbe incedere solebat, nunc humilis et squalidus vel absque luxu saltem incedit, etc. Patet in Ninivitis, in S. Guillelmo Aquitaniæ duce, qui prius in sæculo inflatus, episcoporum persecutor, postea minis et terroribus S. Bernardi conversus, habitum induit monasticum et lorica ad nudam gestavit carnem, factus auctor Guillelmitarum.

Tertio, torquem aureum in collo accipit; quia omnia merita, quæ per peccatum prius mortificata erant, vivificantur, eique restituuntur, quæ merita in unum conserta velut annuli aurei pulcherrimam torquem faciunt, animamque spe celestium præmiorum suaviter et sine onere gravant, angelisque admirandam proponunt.

Quarto, evehitur in currum regium, qui est pax et tranquillitas conscientiæ suaviter animas vehens quæ *pax exsuperat omnem sensum*, ut loquitur apostolus ad Philip. IV. quasi dicat: Intelligi non potest, quale et quantum bonum sit. Certe qui hanc pacem in sese deprehendit, non commularet eam cum sceptris et coronis regum. Sanctus Augustinus post conversionem suam ita loquitur: *Quam suave mihi subito factum est carere navitatibus nugarum! Et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat*, l. confess. cap. I.

Quinto, prædicatur omnium laudibus, et acquirit non solum famam per peccata olim perditam, verum etiam nomen præterea magnificentum, ut patet in Magdalena, quæ ex peccatrice summa Christi amatrix facta, celebratur omnium vocibus. Patet in Matthæo, Paulo, Zacchæo, Pelagia, Maria Ægyptiaca, etc. quorum vitæ prioris macula non solum abstersa, sed et conversa est in maximam eorum gloriam. Atque hæc est illa mutatio, de qua Amos, capite V. dicitur: *Quærite Dominum convertentem in mane tenebras*. Quid enim peccator, nisi tenebræ seu incola tenebrosi carceris? Hic tamen per poenitentiam subito mutatur, et convertitur in auream amœnissimamque auroram: « Quis plane non miretur opera Dei, (ait abbas Chæremon apud Cassian, coll. c. XVI.) ac toto proclamet affectu: Quia ego cognovi, quod magnus est Dominus, cum vel se,

vel alium quempiam ex rancidissimo liberalem ex prodigo continentem, ex superbo humilem ex delicato ac tenero squalidum hirsutumque perspexerit, etc. » Exemplum hujus mutationis habemus in filio prodigo, qui ad se et ad patrem reversus, indutus est stola prima, decoratus annulo, munitus calceamentis, exceptus convivio, recreatus symphonia, Luc. XV.

III. Tertia, e præsentis vitæ commoditatibus ad gehennam, omnium quæ esse possunt metamorphoseon miserima et terribilissima. Hujus typum habemus in Samsone, Judic. XVI. qui quamdiu Nazaræorum ritu comam nutriebat, fortissimus et invictus terrorque hostium erat, ast ubi fraude Dalilæ rasum illi caput est, viresque simul ademptæ, tunc ingenti furia irruerunt in eum Philisthæi, ac primo eruerunt oculos ejus: *Quia nimirum, ut ait Hieronymus, in Ezech. cap. XXVIII. visu male fuerat abusus*. Viderat enim mulieres alienigenas easque adamarat, Jud. XIV. et XVI. Hinc pro brevissima illa delectatione perpetuæ illatæ tenebræ ex oculorum evulsione. Atque hic est primus tartaræ metamorphoseos gradus, tenebræ inquam densissimæ, seu ut vocat Dominus *exteriores*, in quas incidunt damnati, postquam vita orbat et in dæmonum potestatem traditi sunt; quia hic amarunt tenebras mentis internas et opera tenebrarum: rursum quia oculorum lumine ad prava sua desideria pessime sunt abusi.

Secundo, abduxerunt eum (Hebr. et Septuag. vertunt *descendere fecerunt*) in Gazam, civitatem Philistinorum fortem, (uti sonat vocabulum Gaza) celeberrimam, omniumque remotissimam, tum quia urbs erat munitissima, tum quia Samson eam prius magno dedecore affecerat, tollendo et absportando ejus portas. Pari modo reprobati abducuntur et descendunt in dæmonum metropolim, infernum, a cælo et Deo remotissimam, utpote in centro terræ sitam, eamque munitissimam. Quanta enim valla, quantæ lapidum congeries, quanti montes eam cingunt? Hinc certe ad epulonem ibidem ustulatum dixit Abraham: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, etc.* Luc. XVI.

Tertio, vinxerunt eum catenis æreis vel chalybeis (ut Hebræus addit) clausum in carcere. Contingit et hoc damnatis, dum certo et angusto gehennæ loco fortissimis affliguntur vinculis, ita ut loca locis permutare nequeant, sed ergastulis suis inclusi, quo ceciderunt, ibi manere debeant quæ inter alias acerbissima etiam pœna est.

Quarto, clausum in carcere molere fecerunt, quo laborum genere perdit et pauperrimi qui,

que vexabantur, qui ob flagitia vel debita in idergastulum compacti, asinorum instar circumagere molam cogebantur capillo semiraso, veste lacera, collo et pedibus annulatis, fronte cauteriata; ita ut miserimus horum aspectus esset, qualis nunc est Christianorum, qui similibus oneribus vexantur apud Turcas. Unde vicem ejus dolens Abulensis, ante quæst. XXXV. exclamat: « O nimis plangende vir, imo virorum flos, qui omnes viribus superans, sola prudentia caruisti et miserabilis mulierculæ pulchritudine tractus et fallacibus lacrymis deceptus, in extremam dedisti sortem, ita ut cunctorum, quos legerim, miserior factus turpiter ab hostibus utroque privatus lumine in æternum totius populi Hebræorum opprobrium, ad molam asinariam molere cogaris! » Sed nihil istud respectu illius molæ, quam in tartaro circumagere coguntur vinciti reprobi. Quis enim ibi numeret eorum verbera et vibices, quis cauteria? Quis tam peritus arithmeticus, qui numeret circuitus et circumactiones damnatæ illius molæ per omnem æternitatem? Sane quoniam ira Dei in inferos perpetuo desæviet, rota illa maledicta æternum gyranda erit; quod expendens David, Psalm. LXXVI. dixit: *Vox tonitruui tui in rota*, quasi dicat: Perpetuo tonabit in eos, qui rotam æternitatis quasi saxum Sysiphi volvent in æternum. Illa vox tonitruui divini scutica et flagellum erit propellens miseros illos ad rotam æternitatis perpetuo vertendam.

Quinto, exceperunt eum ingenti plausu, summo cum ejus dedecore, non enim satis habuerunt, ipsum exoculatum ducere in Gazam, ubi prius incaute viderat et amarat mulierculas, ut ibi ei illuderent; verum etiam ipsius causa institerunt sacrificia et convivia. Quis hic explicet ruborem magni illius herois? Quis enim dum adduceretur vincetus, populi hostilis concursus? Quæ congratulationes? Quæ in ipsum probra? Quæ in ejus crinem sannæ? Qui in ejus amores joci? Quæ in ejus gentem et Deum convicia? Et forsitan per eandem portam, quam paulo ante convulserat, in Gazam induxerunt, ut ei insultarent, monendo, ut si vir esset, portas iterum nunc avelleret. Forsitan ante meretricis ædes, quam improvidus illic viderat, cum eo præterierunt, ut illi subsannabundi hæc occinerent: *En amicæ tuæ domus, Samson: en præ foribus stat amica tua, tibi adornata: vide eam, si placet. Quam belli ejus ocelli! Quam renitens facies! Quam rubicundæ genæ! Quid oculos nunc claudis? Quid faciem avertis? Quando consultius avertisses, cum oculos haberes? Nunc autem velis nolis, videre eam nequis. Hæc et his similia probra admodum credibile est in eum conjectasse*

Philisthæos. Porro his simillima et longe atrociora detonare in damnatos, nullum esse dubium potest. Quanti ibi dæmonum plausus? Quanti sibili? Quanti cachinni? Quanti insultus? Maxime si quis damnatorum sanctus aliquando fuit et cladem inferis intulit, quam illis objectabunt meretricios amores? Quam insultabunt aliis sceleribus, si qui olim in Ecclesia magni æstimati fuerunt? « Hæccine est (dicent cum Sophonia, c. II.) civitas gloriosa, habitans in confidentia quæ dicebat in corde suo: Ego sum, et extra me non est alius? Quomodo facta est in desertum cubile bestię, omnis qui transit per eam, sibilabit et movebit manum suam, » q. d. obstupescet et mirabitur, ob tam infaustam metamorphosin eorum, qui quondam in mundo summi, apud inferos facti sunt imi. Vult in exemplum auditores? B. Petrus Damiani episcopus et card. Ostiensis in ep. ad fratres eremi (apud Baron. anno 1054.) narrat de Benedicto IX. sui temporis pontifice, primum papa, deinde antipapa damnato: « Valclus quidam, inquit, dum iter ageret, accidit ut juxta molendinum equo insidens pertransiret: et ecce repente monstrum immane conspexit; quo viso subito eum terror invasit, et stupefactus intremuit: videbatur autem monstrum illud in aures aselli caudamque desinere, cætera ursus erat. Cumque viator, ad hoc portentum territus, obrigesceret, fugamque præcipitem formidolosus iniret, informe prodigium humanæ vocis verba formavit. Noli, inquit, o vir, expavescere; hominem me olim fuisse, sicut et ipse nunc es, procul dubio crede, sed bestialiter vixi, post finem vitæ bestię præferre speciem merui. Porro, cum ille perquireret, quis fuisset? Ego, ait, solo nomine Benedictus fui, qui nuper apostolicæ sedis apicem indignus obtinui. Inquisitis autem quidnam retributionis haberet? Nunc, inquit, usque ad diem judicii, per dumosa atque squalentia, perque sulphurea loca, et fœtorem exhalantia, atque incendiis conflagrata rapior et pertrahor: post extremum vero judicium, corpus meum simul et animam irremediabilis cruciatus, et gehennalis barathri irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulla mihi recuperationis spes in posterum restet. Post hæc vero et hujusmodi verba disparuit. » Qualis hæc transfiguratio? De pontifice in tale monstrum?

IV. Demum eaque ultima transfiguratio est, de miseris et calamitatibus hujus sæculi ad cœlestem gloriam omnium felicissima; quam mutationem expectant soli justis, juxta id apostoli, I. Cor. XV. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Ejus porro typum exhibuit nobis Christus in sua transfiguratione. In ea primum,

resplendit ejus facies sicut sol, designans visionem beatificam, qua beati solo Dei aspectu ita recreabuntur et satiabuntur, ut hoc uno beati sint futuri et habituri omnia, quaecumque desiderare possunt. Secundo, vestimenta ejus nitidissima plusquam nivei candoris erant, quibus animæ et corporis dotes in beatis denotantur. Tertio, innotuit vox Patris: *Hic est Filius meus dilectus, etc.* representans in beatis delectamenta sensuum, aurium, oculorum, gustus, etc. Quarto, aderant ei Moyses et Elias *visi in majestate*; ita erit in cælo societas beatorum ingens, varia, dulcissima, splendidissima, jucundissima. Quinto, aderat nubes lucida et obumbrans; representans cælum empyreum, lucidissimum, serenissimum, ornatissimum. Itaque electi, in die resurrectionis maxime transfigurabuntur una cum Christo, dum e tenebris ad conspectum lucis æternæ, Dei scilicet, transibunt: pro squalore miseri et mortalis corporis glorificatum, hoc est, splendidum, subtile, agile, immortale accipient; pro doloribus et ærumnis omnium oblectamenta sensuum percipient; de reprobis et persecutorum societate ad amabilissimum beatorum consortium gradum facient; denique, e mundi hujus exilio et lacrymarum valle ad amœnissima cælorum habitacula migrabunt; quæ omnia alibi fusius explicavimus. Nunc sufficet nobis audire, qua ratione beatam illam regionem descriperit matri S. Astionis martyris et monachi adhuc gentili Vigilantius (in vita Epicteti presbyteri et Astionis.) « Cum enim diceret mater: Quæ dicitur regio illa, quo porrexit dulcissimus meus et unicus Astion? Vigilantius respondit: Regio robustorum, serfortium virorum. Et mater: Sunt aliqui homines ibidem commorantes? Vigilantius respondit: Plures et valde nobiles habentur, quorum possessio paradisi dicitur, quorum tabernacula ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, et conversatio immortalis existit, quorum vestes sanguine sunt respersæ, et in capite coronæ ex auro purissimo cum gemmis variis fabricatæ habentur: sed et rex nimium potentissimus ac metuendus est in eadem regione, cujus nomen Deus deorum, et Dominus dominantium appellatur, cujus nuntii angeli dicuntur justitiæ, quorum vestis una est omnibus, et tactus eorum igni assimilatur urenti. Sed et senatus hujus imperatoris valde clarus habetur: et media pars prophetæ nuncupatur, alii vero apostoli pronuntiantur. » Deinde, ipsam civitatem ita describit: « Sed et civitas istius regis valde est præclara, nomenque ejus christicolis pronuntiat, cujus murus ex auro purissimo est

constructus, habens portas duodecim, et in ipsis singulæ dependent margaritæ, atque singuli ex senatoribus per singulas sedent indelenter. Et prima quidem porta dicitur Petri, secunda Pauli, tertia Andreae, quarta Joannis, quinta Jacobi, sexta Philippi, septima Bartholomæi, octava Thomæ, nona Matthæi, decima Thaddæi, undecima Simonis, duodecima Matthiæ. » Denique ejus templum et sancta sanctorum ita depingit: « Sed et templum mirificum est in ea, habens sancta sanctorum et altare aureum; ante cujus conspectum vir quidam adstat mirificus tenens decem chordarum psalterium, ac jugiter ibi degentes ad laudem regis illius cohortatur dicens: Laudate Dominum de cælis, laudate eum omnis angeli ejus; laudate eum omnes virtutes ejus. Hujus itaque nomen David filius Jesse pronuntiat. Sed et plateæ hujus civitatis ex auro purissimo sunt strætæ, cujus fluvium vitam æternam emanat, cujus promifera per singulos menses reddunt fructus suos, et folia eorum ad medicamentum procedunt animarum, cujus lumen inenarrabile est, et portæ nunquam clauduntur, eo quod nunquam ibi nox erit nec ullæ tenebræ habentur: sed semper gaudium et perpetua lætitia ibidem jugiter commoratur. » Ad hanc transfigurationem perducere nos dignetur qui hodie transfiguratus est Christus Jesus. Amen.

CONCIO VII.

FONTES QUINQUE, UNDE PROMANANT GAUDIA
BEATORUM.

1. Locus, cælum empyreum. — II. Societas beatorum.
- III. Oblectamenta sensuum, oculorum et aurium.
- IV. Corporum dotes: 1. Claritas. 2. Agilitas. 3. Subtilitas. 4. Impassibilitas. — V. Beatifica Dei visio.

THEMA.

Duxit eos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.

Promiserat Deus in lege veteri Judæis terram lacte et melle manantem, si de Ægypto exire et per deserti asperitatem ad illam peregrinari vellent. Cæterum quia populum in deserto valde impatientem ob moram in deserto, imo et incredulum vidit, idcirco ut eum animaret ad ceptum iter prosequendum, jussit mitti ex eo viros qui explorarent terram promissam, opes et ubertatem illius; qui explorata terra post quadraginta dies, attulerunt secum botrum

unum, quem portarunt in vecte duo viri: necnon de malgranatis et ficibus. Idipsum egit nobiscum Deus, qui promisit nobis cælum si per patientiam et pœnitentiam eo contendamus, sed ne diffideremus de facta nobis cæli promissione, assumpsit secum in montem tres primarios suos discipulos, (ut in ore trium staret omne verbum) nomine omnium, et ostendit eis, obiter licet et rudibus delineamentis, gloriam suam cælestiumque bonorum affluentiam: ex quibus tamen delineamentis ad perfectam gloriæ cælestis cognitionem facile ascendere poterant. Unde S. Petrus de hac visione testis oculatus et præsens, ait: *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam: sed spectatores facti illius magnitudinis, etc.* c. II. Petr. I. Similiter S. Joannes item unus ex speculatoribus illis: *Et vidimus, inquit, gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Ex illorum ore acceperunt et tradiderunt nobis evangelistæ reliqui, Matthæus, Marcus, Lucas. Attulere autem nobis botrum illum, de quo Cantio. I. dicitur: *Botrus Cypri dilectus meus mihi, botrum, inquam suavissimum, fulgentem facie, nitentem vestibus, quem gestavere quodammodo et suo testimonio approbavere Moyses et Elias: malgranata, id est, societatem sanctorum, coronatam et copiosam, (nam malgranatum populositalis typus, ob multitudinem granorum) designatam per Moysen et Eliam cum Christo conversantes. Ficus item, id est, suavitatem illam, quæ ex sensuum oblectamentis et cæli amenitate capitur, designatam per vocem Patris auditam, et nubis luciditatem. Quæ omnia licet rudis tantum cælestium bonorum delineatio essent, adeo tamen inebriarunt voluptatibus apostolos, ut Petrus quasi extra se raptus diceret: *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, etc.* Nemo igitur jam dicat: Quis ostendet nobis bona? Quis ascendit in cælum? Quis inde ad nos descendit et dona cæli ostendit? Habemus exploratores illius terræ apostolos. Quid vero illa quæ viderunt, nobis designent, clarius videamus. Sunt autem quinque fontes, e quibus in beatos emanat cælestium bonorum dulcedo.*

I. Fons primus est, locus cæli empyrei, quem representat nubes lucida et obumbrans, quæ circumdabat Christum et eos qui cum eo erant: crebro enim in sacris litteris nubes pro cælo accipiuntur. Porro nubes illa, primo circumdedit et texit undique Christum, prophetas et apostolos, ita videlicet ut ab extra videri non possent. Ita locus beatitudinis securissimus est ab omni hostili incursu, quia ambit, claudit, protegit, imo ab omnium oculis abdit sanctos, ut nihil

quod timeant, in omnem æternitatem habeant. Ad hunc modum nubes illa quæ præcedebat Israelitas ad mare rubrum, insequente eos Pharaone retrocessit et media inter Israelitas præcedentes et Ægyptios sequentes, illos complexa est, et suo interventu abscondit ab Ægyptiis, ut hi neque Hebræos cernere neque accedere possent. Jam vero si felix æstimatur illa arx, civitas, vel natio, quæ situ loci adeo munita est, ut nullum omnino hostem metuat; quam felices erunt beati, cum ab omni hostium incursu videbunt se remotissimos atque securissimos? Quam illudent ibi dæmonibus cæterisque hostibus suis, a quibus in terris agitati fuere, cum videbunt eos sub pedibus suis jacere? Tunc implebitur id Psalm. XXII. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.* Et licet dæmones et damnati plurima blasphemiarum jacula in cælum et omnes cælestes ex inferno ejaculaturi sint: ea tamen in ipsorum met capita recident et majorem eis afferent pœnam, cælitibus nihil nocebunt, sed gaudium cumulabunt.

Secundo, fuit nubes lucida, ut ait Matthæus. Tale etiam cælum empyreum, clarissimum videlicet, nullis tenebris, nulli nocti obnoxium; quia Deus ipse, qui nunquam occidit, nunquam eclipsatur, sol illius est. De hoc enim Apoc. XXI. ait Joannes, cui ostensus fuit: *Et civitas non eget sole neque luna ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus, id est, Christus.* Quemadmodum enim nubes a sole illuminantur et lucem mutuuntur, uti dubio procul etiam illa nubes in monte Thabor a Christi rutilantissima facie resplendente solis instar, lucem et splendorem suum accepit: ita etiam cælum empyreum ab eadem totum illuminantur semper et lucidissimum efficitur.

Tertio, fuit nubes obumbrans eos, ut ait Marcus, ne videlicet a nimio splendore faciei Christi, micantis instar solis, offenderentur intuentium oculi. Ita etiam locus beatitudinis temperatissimus est, ab omni tempestatum injuria et molestia remotissimus: ibi nullus æstus, nullum frigus, non pluvia, non turbo, non aer pestilens, non tonitrua, non fulmina, non terræ motus, nec umbra quidem mortis, aut ullius maledictionis. Ut enim nos ab æstu nubes: ita ab omni intemperie protegit locus ille cæli cives. Et de hoc dixit Isaias, c. IV. *Et tabernaculum erit in umbraculo diei ab æstu et in securitatem et absconsionem a turbine et pluvia.* Id etiam indicatum in eo, quod transfiguratione sua Christus in monte excelso seorsum fieri voluit: montes enim excelsissimi (ut in olympo com-